



W. B. 4.







10 #  
ACADEMIAE ELECTORALIS ERFORDIENSIS  
R E C T O R  
C V M  
SENATV ACADEMICO  
RESVRRECTIONIS DOM. I. C.  
S A C R A  
P I E C E L E B R A N D A  
C I V I B V S I N D I C V N T .



l.

---

IN EST  
DE HEBRAEORVM AENIGMATIBVS, INGENIVM ACVENTIBVS.  
AD IVD. XIV. 12-19. et PROV. XXX. 21-31.

---

ERFORDIAE 1796.  
LITTER. IOAN. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.

ACADEMIAE ELECTORIS HANNOVERENSIS

H. E. C. T. O. R.

SENATUS ACADEMICUS

RESURRECTIONIS DOM. I. C.

SACRA

THE COLLEGIANDA

OFFICII MEDICANI

DE HEREDITARIA MEDICINA, INGENUAE ACADEMIAE

AD IUR. CIV. LIB. 12. DE PROB. XXXI. 21. 31.

BARCELONAE 1793.

LITTELLIUM CHRISTI GÖTTING. ADAM TYPIC.





DE  
HEBRAEORVM AENIGMATIBVS, INGENIVM  
ACVENTIBVS. AD IVD. XIV, 12-19. et  
PROV. XXX, 21-31.

§. I.

Omnes gentes, quarum mores, ritus et instituta historiarum monumentis conservata sunt, ea ipsarum aetate, quae ratione cultus mentis et animi puerilis appellatur, aenigmatico dicendi genere mirum in modum delectantur, adeo ut ob ludum hunc puerilem comparationi cum pueris, aenigmatum amatoribus, sint obnoxii. Uterque enim et populus puerilis et puer ipse facilius istis salibusque ingenio suo hebeti *facillime* dat negotium; similitudinem duabus in rebus observatam *paucis verbis* exprimit, et, familiaritatis studio cum maxime ductus, ingenium suum aenigmatibus familiari sermone atque *colloquio* cordato

mixtis lubentissime acuit. Tribus his rationibus, ab *expedita facultate, brevitatis et confabulationis studio* desumptis, quaestionem illam psychologiam „quare pueri puerilesque populi genus dicendi aenigmaticum admodum ament“, solvi posse nobis persuasum habemus.

Iam gens hebraea, quoad mentis cultum considerata, in eiusmodi gradu, qualem aetas captusque puerilis obtinere solet, per longum temporis spatium substitit; unde mirum non est, eandem aenigmata, griphos, sententiosum dicendi modum et alia poeseos puerilis genera adamasse. Inde et rerum ludicarum studium, quod apud Hebraeos iusto diutius obtinuit, conditioni literarum apud eosdem ita respondet, ut exceptionem a regula constitueret contrarium. Natio vero hebraea quanti fecerit aenigmata, ex multis exemplis in sacris literis obviis facile colligitur, quae collecta cum hoc iocosae poeseos genus admodum quondam cultum demonstrent, serieque disposita genium gentis, eiusdemque ingenium sagax uni fere obtutui subiicere queant; varia aenigmata, quae in S. S. occurrunt, colligere atque observationes qualescunque adspargere operae pretium duximus.

§. 2.

Aenigma Hebraeis vocatur חִידָה, a radice חָוַר, apud Arabes حَان 1) *intorquere, flectere, per ambages ducere*, 2) *aenigmata proponere*. Chidah itaque secundum derivationem est *oratio inflexa, seu oratio obliquis flexibus*



*bus decurrens* a). Aenigma enim est sermo obscurior et quasi perplexus, qui oscitantem effugit tardiorique ingenio evadit.

Posses etiam Chidah, si punctis masorethicis, et hoc loco Dagescho in Daleth deficiente supersedere et Iod in medio pro matre lectionis explicare velis, ad radicem  $\text{דדח}$

contracte  $\text{דח}$ , arabice  $\text{حال}$  *acutus fuit, exacutus est* referre;  $\text{דח}$  enim est acutus Ps. 57, 5. Prov. 5, 4. quae derivatio *acutam orationem*, seu acumen ingenii in inveniundo et extricando aenigmata indigitaret. Mens obtusior non assequitur aenigmata, sed is, qui acumine inveniendique exercitatione gaudet. Acuta sit mentis acies, quae in aenigmatum sententiam penetrare vult. Prior tamen derivatio est praefenda vel ob id, quod semper cum radice  $\text{דדח}$  construitur.

Graecum aenigmatis vocabulum est  $\delta \gamma \rho \iota \phi \omicron \varsigma$ ,  $\delta$ , et  $\tau \omicron \gamma \rho \iota \phi \omicron \varsigma$ , *eos*, cuius significatio eodem fere modo a primitivo, deducitur.  $\Gamma \rho \iota \phi \omicron \varsigma$  enim est 1) sagena, rete intricatum, 2) dein quaestio aenigmatica. Definitionem  $\tau \delta \gamma \rho \iota \phi \omicron \varsigma$  illam antiquam hic apponere iuvabit, quam ATHENAEUS b). ex Clearcho Solensi attulit:  $\Gamma \rho \iota \phi \omicron \varsigma \text{ περιβλημα}$

A 3  $\text{ἀμμοχέαινον}$   $\delta \epsilon \nu \iota$

a) *Schultens* ad Iob. 16, 20. et ad Prov. 1, 5. *Michaelis* supplementor. ad lexica hebr. N. 682. p. 681. *Lexicon Simonis Eichbornianum* p. 518. vel *Lex. Cocceio-Schulzianum* p. 341. ed. 1777. et p. 554. edit. 1793.

b)  $\Delta \epsilon \iota \pi \nu \omicron \sigma \sigma \omicron \Phi \iota \varsigma \iota \kappa \omega \nu$  Lib. 10. c. 17.

ἔστι ἐπιπαιστικόν, προτακτικόν τε δια ζήτησεως εὐρεῖν τῆ διανοίας  
το προβληθέν. i. e. Griphus quaestio est iocosa, quae im-  
perat invenire cogitatione propositam quaestionem,

§. 3.

Primum et antiquissimum aenigma, quod sacra scri-  
ptura exhibet, est illud, quod Simson in convivio nuptiali  
triginta suis convivis, quos convocarat, proposuit, ea con-  
ditione, si illud solvissent intra septem dierum spatium,  
quo convivium illud durabat, triginta linteamina (Sindone-  
nes, endusia) atque triginta vestes mutatorias (tunicas) a se  
praemii loco esse accepturos; sin minus, ut ipsi Simso-  
ni totidem pallia et tunicas dare tenerentur.

Quod fusius relatum legimus *Judicum* libro cap. 14,  
12—19. Aenigma hoc rhythmicè seu versibus, et quidem  
trinis distichis est propositum; rhythmum enim et Sim-  
sonis quaestio, et convivarum responsum, et Simsonis ani-  
madversio finalis exhibent; quid? quod tertium distichon  
non tantum verborum rhythmum sed et syllabarum ho-  
moeoteleuton (Reim) praebet. Cum musicae suavitas et  
sententiarum acumen versione extingueretur, ipsius con-  
textus verba adponamus necesse est.

Sim-

*Simson:* מהאכל יצא מאכל

ומעו יצא מתוק

*Convivae:*

מה מתוק מדבש

ומה עו מארי

*Simson:*

לולא הרשתם בְּעֵגְלָתִי

לא מצאתם חֵדְתִי

Ad verba sic vertimus:

*Quaestio aenigmatica:* De edace exivit cibus,  
De acri egressa est dulcedo.

*Solutio:* Quid dulcius melle?

Quid acrius leone?

*Responsio:* Nisi iuvenca mea arassetis,  
Solutionem certo non invenissetis!

Antiquas versiones, e. g. syriacam, arabicam, chaldaicam, graecam alexandrinam et vulgatam latinam qui comparaverit, inveniet, rhythmum a Chaldaeo, s. Ionathane omnium optime esse expressam; quas tamen versiones brevitatibus studio ducti non addimus.

Vocabulum *acre* hoc loco metaphorice esse sumendum, et *ferox* seu *fortis* intelligendum, e nexu patet.

Simsonis criminatio finalis etiam aenigmatice dicta est, nam verba: *Nisi iuvenca mea arassetis*, idem est ac *nisi blanditi essetis*, ut Syrus habet, uxori meae, nequaquam aenig-

aenigma meum solvissetis. Illud adhuc monendum ducimus, Lutherum *vaccae* loco vitulum (*Kalb*) vertisse, cum tamen nec hebraicum אגל, nec graecum LXX. δαμάλις proprie vitulum *Kalb*, sed iuvenca significet, nec unquam vitulis, quamvis interdum vaccis aremus. Lutherus ceterum absque dubio vocabulo *Kalb*, sicut aliis locis vocabulo agni, e. g. agni paschalis, agni sacrificalis etc., loco hirci, sensu iusto quidem latiori, sed tunc temporis vulgari usus est; attamen iuvencae biennes et triennes, aequae ac hirci biennes nostris non sunt Kälber et Lämmer, sed Kühe et Schaafböcke.

Quod reliquum est, ex hoc aenigmate discimus, moris fuisse, 1) in conviviis aenigmata proponendi, 2) griphos solventibus praemia decernendi, 3) eosdemque non solventes mulcta notandi. Hic mos, propositis aenigmatibus de ingenii laude ac praemio certandi consuetudini apud Hebraeos sequiores, nec non apud graecos et alios populos c), qui eosdem lusus iocosos interdum etiam serios amaverunt, bene congruit.

§. 4.

- c) Vid. *Plutarchi* liber de septem Sapientum convivio. *Eustathius* in *Homeri Iliad.* p. 599. *Athenaeus* Δειπνοσοφιστικῶν lib. 10. *Thesaurus Gronov.* T. XII. *Macrobii Saturnalia* L. 7. c. 1. *J. Guil. Struëkii* antiquitates convivales Lib. 3. c. 17. edit. *Tigur.* 1597. pag. 374 seq. *Potteri* archaeologia graeca L. 4. c. 20. *Pausanias* in *Arcadicis*, s. Lib. 8. p. 613. conf. *Fablosky* Pantheon. Aeg. Proleg. p. CXII. ed. Francof. 1750.  
Zor-

§. 4.

Salomo ob acutissimam mentis aciem in inveniendis solvendisque aenigmatibus in sacris literis saepe laudatur. Locus classicus est 1 (3) Reg. 10, 1-9. „Sabae regina, audita Salomonis fama, ad eum *aenigmatibus* tentandum venit; ingressaque Hierosolymam multo cum comitatu, cum camelis, maximam aromatum, auri et gemmarum vim ferentibus, Salomonem adit, eique proponit, quidquid habuit in animo. Cui rex Salomo omnia eius *aenigmata* solvit, neque regem quidquam latuit, quod illi non explicaret. Tum regina Sabeensis, perspecta Salomonis tanta sapientia, regem sic adlocuta est: utique vera sunt, quae ego nostris in regionibus de tua sapientia atque *sermonibus* tuis audiveram; quibus rebus equidem non credidi, ante quam veni, et ipsa meis oculis spectavi. Enim vero comperio, ne dimidium quidem mihi fuisse narratum; adeo tu famam, quam ego acceperam, sapientia superas atque virtute. Felices homines tui, felices hi asseclae tui, qui tibi perpetuo adstantes, tuam audiunt sapientiam!“

§. 5.

In sacris literis extat collectio aenigmatum, quae a Bibliorum redactore Salomonis libro proverbiorum adne-

*Zornii* diss. de antiquo aenigmatum in coenis nuptialibus hebr. graec. et rom. usu. *Deiling* de consuetudine proponendi aenigmata apud veteres.

B

xa est, et quam, ut nobis videtur, interpretes non semper rite explicaverunt. Plurimi enim interpretes illa septem aenigmata, quae capite trigesimo Proverbiorum continentur, didactice illustrantes, de huius capituli nexu haud parum anguntur. Lectores ablegamus et ad illos interpretum antiquorum thesauros, qui in *Sacris* sic dictis *Criticis*, *Polo* etc. extant, et ad versiones et commentarios, qui nostro aevo sunt editi, e. g. MICHAELIS, HEZELII et aliorum, quorum libri exegetici merito magni aestimantur, optimisque accensentur.

Cum vero haec aenigmata in textu originali, ut iam diximus, non tantum rhythmicè sed et subinde consono verborum exitu expressa sint, ea quovis modo versione nostra sumus imitaturi. Homoeoteleuta quidem apud Romanos non fuerunt in usu, hac autem rei conditione studium nostrum in iisdem exprimendis fortassis inane ignoscant lectores precamur.

## §. 6.

II. *Aenigma. Prov. 30, 21-23.*

*Quaestio*; Tria commovent rempublicam,  
Quartum vero evertit illam.

*Solutio*: Servus quum regno potitur,  
Stultus quum cibo est satur,  
Exosa quum maritatur,  
Ancilla quum hereditate donatur.

Sum-

Summa huius aenigmatis est: in promovendis hominibus ex abiecta conditione ad altiorem vitae dignitatem summo opere est prospiciendum, ne exitus trito illo proverbio anglico:

„Set a beggar on horsback,  
„And he will ride ful gallop.“

respondeat; mendicus enim equitans prae imperitia aut se ipsum aut equum perdet.

Propositi aenigmatis quatuor membra argute sunt delecta, quorum duo priora ad viros, posteriora ad foeminas spectant; illa turbas in republica, haec in familia excitant.

§. 7.

III. *Aenigma.* Prov. 30, 24-28.

*Quaestio:* Sunt quatuor terrae minima,  
Ac eadem sapientissima.

*Solutio:* Debilis est quidem *formicarum* tribus,  
Paratur tamen scite ab eis cibus;  
Non sunt robusti *mures montani*,  
Sed ponunt domos in rupe concinni;  
*Locustis* quidem non est rex,  
Exeunt tamen ordinate ut grex;  
*Araneae* telam texunt manibus,  
Et sunt in regis domibus.

Tria priora membra per se liquent, nulliusque explicatio-  
nis indigent; quartum vero ob verba שממית et שפא est  
dubium et aequivocum. Illud enim nomen Schemamith,  
sive Semamith (códices enim variant), quod in sacris  
litteris alio loco non occurrit, in versionibus antiquis et ab  
interpretibus varie explicatur.

Versio alexandrina habet καλαβωτην, stellionem, la-  
certarum speciem, quam plures eruditi sequuntur, et  
multis argumentis haud spernendis confirmare studuerunt.  
Conferantur praecipue BOCHARTVS d), LORINVS e),  
quibus GROTIUS, MICHAELIS f), EICHHORNIVS et  
SCHVLZIVS g), HEZELIVS h), HERDERVS i), alique viri  
praestantissimi, huius significationis argumenta ex parte  
novis corroborantes, accedunt. ALBERTO SCHVLTEN-  
SI k), Schemamith est Salamandra, animal stellioni simil-  
linum.

## Versio

- d) Bocharti Hierozoicon. P. I. L. IV. c. 7.
- e) Lorinus ad Levit. II, 32.
- f) Michaelis Uebersetzung und Anmerkungen ad h. l.
- g) Eichhornii et Schulzii lexica hebraica.
- h) Hezels Bibelwerk.
- i) Herder, vom Geist der hebräischen Poesie, Th. 2. S. 287.
- k) Alb. Schultens ad Prov. 30, 20.



Versio vero *chaldaica*, Rabbi KIMCHI, R. SALOMO, R. LEVI, VATABLVS, CASTALIO, CLARIVS <sup>l)</sup>, GEIERVS <sup>m)</sup>, CARTWRIGHT <sup>n)</sup>, et alii habent araneam, (Chaldaeis ארמית) quos iam sequi maluimus. Nam quomodo stelliones (lacertae, salamandrae), minutissimis terrae animalibus adnumerari queant, et quare araneam hoc aenigmate, quo animalium solertia atque artes laudantur, respuerit auctor, nulli videmus. Quid? quod artes aranearum tantisper sunt notae, ut earum texturae et tela, ipsarumque artificiosus manuum usus ab omnibus illustrentur. Araneae pedibus, qui ipsis sunt manus, tam expeditae et artificiose filum suum tractant, ceterisque ligamentis annectunt, ut earum texturam circularem infantes iam observent. Poeta itaque, si aenigma suum ab auditoribus vellet solvi, nec potius reprehendi, quod solutionem minus convenientem accomodatori praetulerit, merito araneam, ut verisimile est, intellexisse creditur, praesertim cum in eodem Chaldaeus et Rabbini (quamquam alias quidem non semper sint iustissimi rerum aestumatores) consentiant. Quod araneae minutissimis animalibus accenseantur, in palatiis regum inveniuntur omniaque alia attributa mire quadrent, quae ratione stellionum differunt, omni dubio caret.

B 3

Alte-

l) Critici Sacri. T. II. ad h. l. conf. Supplem.

m) Geieri Proverbia. ed. Lips. 1669. p. 1602.

n) Cartwright Commentarii in Prov. Salomonis. ed. Amst. 1663. p. 1293.

Alterum verbum dubium est **וּפְתַח** significat enim:  
 1)prehendere, 2)contrectare, 3)tractare in genere, ita  
 ut nexus ubique rem tractatam definiat. E. g. Musicus  
 tractat *cytharam*, Gen. 3, 21.; miles tractat *arma*, Ier.  
 46, 9. Ez. 38, 4.; remiges tractant *remos*, Ez. 27, 29.  
 et araneae tractant *aranea* seu ea, quae sunt araneorum,  
 id est aranea textit seu net.

## §. 8.

IV. *Aenigma.* Prov. 30, 29—31.

*Quaestio aenigm.*: Tria sunt maiestatica gressu,  
 Quartum est magnificum incessu.

*Resp.* *Leo* est potentissimus inter bestias,  
 Qui non retrocedit a quoquam;  
*Equus* zonis cinctus, nec non *aries*.  
 Tandem *rex*, cum quo consistere non licet.

## §. 9.

Pauca haec praefaminis loco scripta ob fines prae-  
 scriptos iam sufficient; reliqua autem, quae collegimus,  
 aenigmata biblica, proximae occasioni reservamus. Occa-  
 sionem haec scribendi dederunt festi illi dies, quibus me-  
 moriam resurrectionis Domini nostri Iesu Christi pio ani-  
 mo sumus reculturi.

Mor.

Mortui Domini nostri Salvatoris in vitam resurrectionis absque dubio summum est aenigma, quod nemo mortali-um ex legibus naturae solvit, nec unquam solvet; nos vero Christiani hanc veritatem, laetitia et solatio plenam, fide adprehendimus, nulli dubitantes, quia illa tot tantisque testibus est confirmata, quantis omnes in genere religionis nostrae sacrosanctae assertiones, quae vires rationis humanae superant, probatae sunt. Quid? quod Iesus revera a mortuis excitatus est, vivit etiam in ipsius doctrina saluberrima.

Quodsi vero, *Commilitones dilectissimi*, Christi resurrectionis fructum et doctrinae Eius in aeternum valiturae felicitatem percipere optamus; non sufficit credere et dicere „Christus resurrexit et adhuc vivit,“ sed vivat necesse est in nobis ipsis, ita ut omnes, quantum fieri potest, munerum, rationum et officiorum nostrorum partes, pie ac strenue explere enixe contendamus. Quilibet nostrum re vera affirmare possit necesse est, quod Paulus de se ipso ad Gal. 2, 20. dixit:

Ζῶ, ἐκ ἐτι ἐγώ, ζῆ δὲ ἐν ἐμοὶ Χριστός.

Vivo non iam ego, sed vivit in me Christus, i. e. Christi doctrina.

Ar-

Ardentissimas quoque preces pro incolumitate atque salute EMINENTISSIMI AC CELSISSIMI PRINCIPIS ELECTORIS *Friderici Caroli Iosephi*, S. Sedis Moguntinae Archiepiscopi, S. Rom. Imperii per Germaniam Archicancellarii, Principis et Episcopi Wormatiensis cet. Domini nostri gratiosissimi, nec non pro vigore beatissimo atque prosperitate REVERENDISSIMI AC ILLUSTRISSIMI PROPINCIPIS COADIUTORIS *Caroli Theodori Antonii Lib. Bar. de Dalberg*, Archiepiscopi Tarsensis, Coadiutoris Moguntini, Wormatiensis et Constantiensis, nec non civitatis et territorii Erfurtensis Propincipis cet. Domini nostri clementissimi fundamus, ut hos Patres patriae indulgentissimos aequae ac dilectissimos, qui reipublicae, literis, artibus et scholis humanissime favent, salvos et sospites tueatur et omnia Eorum coepta in populorum emolumentum cedere benignissime iubeat Deus.

Publ. sub Sig. Rect. Festo Paschatos 1796.



Fd 29 79

ULB Halle  
002 711 796



3

TA 70C

W 7P

N.C.







ACADEMIAE ELECTORALIS ERFORDIENSIS  
RECTOR  
CVM  
SENATV ACADEMICO  
RESVRRECTIONIS DOM. I. C.  
SACRA  
PIE CELEBRANDA  
CIVIBVS INDICVNT.



IN EST  
DE HEBRAEORVM AENIGMATIBVS, INGENIVM ACVENTIBVS.  
AD IVD. XIV. 12 - 19. et PROV. XXX. 21 - 31.

ERFORDIAE 1796.  
LITTER. IOAN. CHRIST. GOERLING, ACAD. TYPOGR.